DE ROMAE VETERIS MAIESTATE IN RVINIS AC VESTIGIIS ADHVC SPIRANTE DISSERENS

DECANVS
ORDINIS PHILOSOPHICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IO· GVILIELMVS DE BERGER
SAC· CAES· MAI· ET POTENTISS· POLON· REGIS
AC PR· ELECT· SAXON· A CONSILIIS
HISTORIOGRAPHVS REGIVS ELOQ· ET HVMAN
PROF· PVBL· ALVMNOR· REGIO EL
EPHORVS
H· T· CONSTITVTVS IMPERIALI AVCTORITATE
COMES PALATINVS

PHILOSOPHIAE ATQVE ARTIS POETICAE
CANDIDATIS
S· P· D

VITEMBERGAE
18 EX OFFICINA HENNINGIANA
1739.

Digitized by Google

Digitized by Google

Vidi Romam, cuius uidendae ego, ductus potiſſimum antiquitatis ſtudio, mirabili ſemper cupiditate flagraui. Sed Romam Romae deſideraui. Namque Vrbem, nouo ſplendore atque magnifico excultam, non ſine admiratione uidi quidem, ſed prolapſam ruiniſque inuolutam reperi ueterem illam, terrarum principem, cui quondam par fuerat nihil, nihilque ſecundum. ROMA enim SEPVLTA IACET, ut dictitare ſolent ipſi doctiores Romani

Neque id mirum ualde. Quoties enim ab exteris gentibus direpta eſt Vrbs, ac grauiter afflicta. Quod corruperant Galli Senones, id quidem poſtea nitidius refectum eſt. At, quam lateritiam acceperat Auguſtus, marmoream reliquerat, quam, incendio abſumptam, uel ipſe Nero, uel alii, reſtituerant, hanc gentium, in Italiam effuſarum, impetus deuaſtauit, miſerandum in modum. Viſigothis, quibus praefuit Athalaricus, ſucceſſerunt Vandali, Vandalis, quos imperio rexit Genſericus, Heruli, Herulis Oſtrogothi, his rurſus, duce Totila, Gothi, qui, cuncti odio in Romanum nomen incitati, funeſtum Vrbis magnificentiſſimae ſpectaculum reli-

querunt. Templis enim, basilicis, palatiis, operibus aliis, passim dirutis, tanta Vrbi uastitas illata est, ut plerunque uel ipsa exolescerent indicia pristini cultus. Euersis tot tantarumque substructionum molibus, et confusis inter se se, ipsa iam Vrbis itinera multis modis corrupta sunt, alioque auersa. Ipsa iam rupes Tarpeia, cum Tiberim uersus in Capitolino conspicitur, modicum ostendit saxi eius praerupti, quod, antiquis temporibus, tantum horroris iniecit. Nec uero hoc terra solum uidetur effecisse, sed ipsa etiam moles, ex domorum templorumque ruinis aggesta. Romae solum accliue passim factum, aliterque mutatum, aut hortis uineisque conserendis apertum. In ipso etiam Palatino, tot olim aedificiis culto, ubi Palatium fuit Augustorum, cuius magnam partem nunc occupant horti Farnesiani. Hinc agri multis magnisque locorum spatiis in Vrbe porrecti. Itaque, cadauere Romae ueteris in ruinas proiecto, alia nouae facies emersit. Haec ipsa quoque noua in aliis fere locis constitui coepta, ob eamque caussam ab iis multo diuersa, quae in tabulis Farnesianis, aut a Rufo et Victore, traduntur. Sic splendor Vrbis obsoleuit, terraque obrutus, euanuit, ipsa

ipſa uero, de faſtigio terrarum, quo ſtetit quondam, deiecta, ſic concidit, ut iam ſubtus terram ſe ſe recepiſſe, atque hic, in latebris cauerniſque, demum quaerenda, uideatur. Poſtremo, tanta rerum confuſio tantam induxit caliginem, ut ii ſaepe, qui Romanas antiquitates, oculis ſubiectas, indagant cupide, neſciant profecto, quid credant ipſi, quid interrogantibus reſpondeant, et ſuſpicionibus inter ſe coniecturiſque certent

Atque haec quidem urbis clades uulgo, uelut a capite, arceſſi ſolet a furore illorum, de quibus dixeramus, populorum, quos, ex ea re, Barbaros uocant. Sunt tamen, qui, re diligentius conſiderata, putent, hic nihilo minus, quam Barbaros illos, attuliſſe detrimenti, fortaſſis etiam plus, Chriſtianos ipſos, ipſoſque Romanos. horum uel inſcientia atque incuria, uel ambitione atque inani ſuperſtitione, uel alia quadam animi libidine, multa priſcae memoriae opera uel conuulſa eſſe ac diſiecta, uel aliis modis obtrita. Quid, quantumque Romae ueteri detraxerit Conſtantinus M· ut exornaret nouam ſuam Byzantii, inter omnes conſtat. Scimus etiam, quid Conſtantinus III Imp· indulſerit ſibi, reuulſis ex Pantheo laminis argenteis,

quibus operti fuerant huius parietes, ac ſublatis indidem ſtatuis ex aere et marmore, quas Syracuſas aſportari iuſſit. Hac enim re traditur plus damni, ſeptem diebus, dediſſe, quam Barbari ducentis LVIII annis. Satis hoc exempli ſit, ut de ceteris taceamus. Quot praeterea Romae ueteris ornamenta, uel Florentiam, quam idcirco ipſi iam Romani Romam paruulam dictitant, tranſlata ſunt, uel Parmam, uel alio, cum plura pluribus in locis conſpiciantur. Quot aedes ſacrae, uel aliae magnifici operis, Romae ex ruinis ueterum ac ſpoliis excitatae ſunt atque ornatae. Quid hic non licuit multis, quorum familiae tuliſſent Pontifices maximos, praeſertim, cum hos ipſae familiae', ad augenda gentilitii nominis decora, facile inuitarent. Vidimus ipſi Romae, in templo Aeſculapii, antiquo illo famaque incluto, conuulſum inſignis operis ac teſſellati pauimentum, quod homini, antiquitatis perito, ac nobis amiciſſimo, paruo uendebatur, ut nouum, et melius ſcilicet, ſtrui poſſet. Adeo plus obeſt interdum rerum bonarum ignoratio, quam uetuſtas ipſa

Neque eo ſecius haec ipſa Vrbs, quae plagam tam fatalem accepit, in ipſis adhuc ruderibus

bus exprimit priſtinae maieſtatis ſuae ueſtigia, haud obſcura. Quae quidem etſi a uulgo, externa decepto ſpecie, deſpiciuntur fere, uel ignorantur omnino, ſagacioribus tamen lumen, ad iudicandum de magnitudine Romana, praeferre poſſunt. Spectantur adhuc, ſed a priſtinis ornamentis nuda, Fora plura, Romanum, Caeſaris, Auguſti, Neruae, Traiani, alia, ſic deletis aliorum ueſtigiis, ut haec ipſa noſcantur ſola fama. Spectantur Porticus, Octauia, Claudia, Mercurii, et integrior Fauſtinae, maxime Agrippae, opus in aditu Panthei auguſtum. Spectantur Circi, ſed in areis, et priſci decoris expertes, de praecipuis quidem Maximus, Neronianus, Flaminius, Agonalis, ille denique inſignis Caracallae, in quo multa diſtinctius notari poſſunt

Exaruit quidem fons Metae Sudantis, ſeruantur tamen adhuc eius rudera, oſtenditur in Circo Agonali Meta, quae ex Circo Caracallae huc tranſuecta perhibetur

Quanta ueterum opinio de Aquaeductibus Romanis fuerit, ipſae ueterum literae, in primis Inſcriptiones antiquae, docent. Atque horum quidem operum, tam admirabilium, in quae tanti

tanti ſumptus facti ſunt, plura ſunt reliqua in ueſtigiis Aquae Martiae, Claudiae, Appiae, aliarum. Haec ipſa certe oculos ſpectantium defixos tenent altitudine arcuum ac multitudine, qui uel in Vrbe, uel extra Vrbem, longa ſerie procedunt, aut, iniuria temporum interrupti, habent nihilo minus, unde de praeſtantia integri operis exiſtimari poſſit

Nondum uetuſtate adeo deleta ſunt Mauſolea, quin magni quid atque excelſi ante oculos ponant. Auguſti quidem, in campo Martio, quod hic ſibi, aliiſque Imperatoribus, condidiſſe fertur. Hadriani, quod a Beliſarii militibus expilatum, a Pontificibus Maximis deinde munitum, his ipſis Caſtellum, et Clementi VII perfugium, praebuit. Septimii Seueri, ſtantibus adhuc tribus illis ordinibus columnarum, quarum aliae aliis inſiſtentes, efficere Porticum uidentur. Accedat his, quod aliorum inſtar ſit omnium, Monimentum C. Ceſtii, epulonis, integrum adhuc, opus Pyramidis ingens, excelſum, mirabile, quod uulgo, ſed mendoſe, ut ipſe Ceſtii titulus teſtatur, ſepulchrum Romuli appellatur, regiam tamen huius ſepulturam haud dedecere potuiſſet.

Quantae

Quantae molis, quantae amplitudinis, quanti ſumptus, fuerint Thermae, in quibus lauabantur Romani, uix ſibi perſuaſerit, niſi qui reliquias earum contempletur. Quarum plures Romae cum fuerint, tum harum, ut de quibuſdam dicamus, ueſtigia nondum extincta ſunt in Thermis M· Agrippae, Neronianis, Titi, Traianis, Domitianis, Septimii Seueri, Antonini Caracallae, Gordianis, Philippi, Diocletianis, Conſtantinianis. Sed eminent hic Antoninae, atque Diocletianae. Illae quidem, quae narrantur ab Antonino Caracalla coeptae, ab Alexandro Seuero perfectae, ornatae adhuc marmore grandibuſque columnis. Iſtae uero, quibus extruendis centum quadraginta millia Chriſtianorum, compluribus annis, adhibuiſſe perhibetur Diocletianus. Vtraeque, ab interitu, magnam ſui partem, ſeruatae, amplitudine ſua atque altitudine alliciunt ſpectatorum oculos atque percellunt

Templis compluribus 'pepercit fortuna, plus quidem minuſue, temporum calamitati ſubtractis. De quibus nominare, ſatis fuerit in praeſenti, Aedem Veſtae, Aeſculapii, Martis Vltoris, Solis, Lunae, Apollinis, Mineruae,

Virtutis atque Honoris, Dianae, Bacchi, Iouis peregrini, Romuli et Remi, Antonini et Faustinae, aliorum.. His, atque aliis, sui magnificentia praelatum fuit quondam Templum Pacis, altissimis columnis fultum, magnificis statuis alioque ornatu decoratum, quod statuit Vespasianus, templique Hierosolymitani spoliis auxit, sed incendium postea, aetate Commodi, consumpsit, relictis tamen quibusdam partibus, e quibus de pristini operis excellentia iudicium fiat. Sed omnibus, quae communi stragi supersunt utcunque, uel arte fabricandi, uel operis praestantia, uel integritate partium, antecellit Pantheon, a M· Agrippa extructum, ab Hadriano, aliisque, refectum. Quod quidem pristinis ornamentis, quae fuerant amplissima, nunc, sicut meminimus, exutum est fere

Ex Theatris, quorum apparatus non ignoratur, refero tria illa, Pompeii, Marcelli, Cornelii Balbi. Illius uestigia in Campo Florae, istius in aedibus Sabellorum, huius in Circo Flaminio, commonstrantur

Sed nihil haec Theatra, nihil Amphitheatrum Statilii, quocum male confunditur Castrense, cuius Statiliani umbra quaedam redditur in ruinis, nihil

nihil alia plura ueteris aeui ſpolia, quae paſſim ſub oculos cadunt, admirationemque commouent, nihil ad Amphitheatrum illud, dictum uulgo Coloſſeum, quod aedificatum a Veſpaſiano, dedicatum abs Tito, literis ueterum, ipſis etiam Numiſmatis, elegantibus certe neque obuiis, monimentis denique aliis, celebratur. Opus quidem, ex lapide Tiburtino, peramplum, tamque alte conſtitutum, ut a montis Coelii faſtigio propius abeſſe uideatur, quo nec Veronenſe illud, neque aliud ullum, accedit. Sed hoc idem tanto admirabilius, quanto minus, quod eius reliquum eſt, mediam uetuſti operis menſuram implet

Adeo in hoc quoque ſaeuitum eſt, non ſolum a Barbaris, ſed a Byzantinis etiam Imperatoribus, atque ab aliis, qui, auulſis inde partibus, ſtruendis palatiis materiam ſumpſerunt

Magnum Capitolii nomen eſt, perantiquum eiuſdem decus et commemorabile, ſic, ut ipſum in ſeptem Orbis mirabilibus numeraretur. Sed, quam ſplendoris olim fuit, tam ruinarum nunc plenum eſt, nouis tamen aedificiis quibuſdam ac ſplendidis inſtauratum. Fuerit interim, qui, mecum, requirat templum Iouis Capitoli-

ni, olim consilio reip. ac triumphorum religione, tam sanctum, ipsius etiam operis claritate tam insigne. Cuius quidem sedem, opinionibus solicitatam, alii figunt in eo Capitolini uertice, ubi nunc est *Ara Coeli*, alii, una cum Arce, in alia eiusdem parte, quae ad Tiberim uergit. Restant hic fundamenta quaedam, restant aliqui parietes antiqui, sed in quibus iumenta iam stabulantur. Ex his tamen ipsis de magnitudine operum, antiquitus hic extructorum, coniici potest. Stant praeterea, qua descenditur in Forum Romanum, a dextra Columnae tres ordinis Corinthii, quas alii Iouis Feretrii esse uolunt, alii Tonantis. Stant, in eodem cliuo, sed inferiore paullo, octo Columnae, quae Aedi Concordiae, a peritioribus, tribui solent. Nec uero indigna sunt, quae in Capitolio publice aspiciantur, ex prisci aeui monimentis, huc transductis, Colossi Castoris et Pollucis, Tropaea Marii, Cimbris Teutonibusque uictis, Columna Milliaria, simulacra Nili et Danubii, Statua Romae triumphantis, Statua maxime equestris M· Aurelii, rarum opus inter statuas huius generis antiqui, per Vrbem raras. Addantur his, quae aliis diuersisque Capitolii locis cele-

celebritatem pariunt, Lupa, ex aere, Romulum Remumque lactans, cum uestigio fulminis, ut uidetur, a Cicerone commemorati, Columna Rostrata, antiquae Mensurae Romanae, statua Herculis, Isidis, aliorum numinum, Pastoris, Iulii Caesaris, Augusti, Titi, Antonini, Constantini M· aliorum, Faustinae consecratio, tumulus Alexandri Seueri ac Mammaeae, Flumen decumbens, quod, uulgo Marforii nomine uocatum, Rhenus putatur, Colossorum fragmenta magnitudinis immanis. Plura sciens praetereo, quae uideri expendique, antiquitatis interest, in quibus merito posueris Fastos Capitolinos, quantiuis pretii, Tabulasque legis Regiae, sed non antiquae illius, quae uenditatur a nonnullis, atque confingitur, uerum posteriori aeuo conditae, atque sub Vespasiani demum principatu. De Capitolio cum descendamus, liceat a sinistra, in foro Romano, respicere uicinos Carceres Tullianos, quos posterorum religio temporum consecrauit. Magnum opus ac priscum Cloacae Maximae, purgandaeque ciuitati necessarium, cuius, tantum abfuit, ut puderet ueteres, ut hoc idem in mirabilia referrent Vrbis. Hoc ipsum, partem quandam, superest, alto fornice

Digitized by Google

grandibusque columnis substructum. Neque uero tam sordet illud aut foetet ueteris aeui studiosis, quamlibet emunctae naris, quin eiusdem magnitudinem illi utilitatemque mirentur. Ianos complures recitat antiquitas, et, usibus negotiantium commodisque extructos, opum cupidis commendat, bifrontes quidem alios, alios quadrifrontes. Ex his quadrifrons huiusmodi aetatem Romae tulit, ex ingentibus marmorum molibus in fastigium perductus, cum singulis singulorum laterum arcubus, qui libere perspici possunt atque transiri

Videtur iam gloria Romae, e suis excitata ruinis, in coelum efferri, tum altis mirificisque molibus Obeliscorum, quos pluribus locis Vrbs ostentat integros, tum maiestate Columnarum, in primis Traianae atque Antoninae, quas, obstupescat, oportet, qui primum contuetur

Videtur eadem Romae gloria, his ipsis in monimentis, de iniuria temporum triumphare, perinde, atque in Arcubus Triumphalibus Titi, captis Hierosolymis, Septimii Seueri, superatis Parthis, Arabibus, Adiabenis, Constantini M deuicto Maxentio, ut de aliis, ipsisque reliquiis pontis triumphalis, sileamus. Hactenus de his, quae in oculos incurrunt Quanti

Quanti iam thesauri, ex Orbe terrarum conquisiti cumulatique, latitant in eodem Romae antiquae sepulchro. Atque hos quidem scrutantibus cupide multis, noui semper quid atque praeclari eruitur, unde lucem capiat antiquitas, latibulis excussa, et multa cognoscantur, tot saeculis ignorata, multa, coniecturis deprauata, corrigantur. Ex his non infimum tenet locum Sepulchrum familiae Liuiae, Libertos complexum, quod nuper Romae repertum est, idque integrum, amplum, multi nitoris. Inuentus in eo simul dispositus urnarum ordo, lucernae praeterea mirifici operis, gemmae Graeci summique artificii, uasa uarii generis, aliaque, spectatu digna. Quod quidem cum eximie collaudent, quicunque uiderunt, tum, hoc ipsum, indigne ferunt sapientes, ad posteros seruatum non fuisse, sed suis iam, uti quidem nos uidimus, conuulsum sedibus, omnique ornatu priuatum. Habenda igitur est Romanis gratia, habenda Florentinis, quorum, certantibus inter se studiis, monimentum illud, quale repertum fuit, breui, edetur. Praestat huic operi aliud, quod, in hortis Farnesianis, haud ita pridem operis, humo effossa, patuit, acce-

ptum

Digitized by Google

ptum uulgo pro Domo Neronis Aurea, ſed a doctioribus, pro Palatio Auguſti. Ingentibus ex marmore columnis ſtetit, altis thermarum molibus ſubſtructum, antiqua adornatum mirabilique pictura, e cuius marmoreis tantummodo fragmentis, quae una hebdomade uendita ſunt, ſexaginta millia ſcutatorum Romanorum confecta dicuntur. Potiora eius ornamenta Parmam aſportata ſunt, ut in Muſeum Farneſianum inferrentur, in quibus duo illi Coloſſi, Herculis atque Bacchi. Hoc unum, ne plura conſecter, adiunxero, extra portam Latinam proxime, purgatis ruderibus, patefactum fuiſſe aliud Monimentum, in pluribus innixum fornicibus, inuentos ſimul in eo titulos ueteres, lucernas uarii hiſtoricique decoris, quod Romae, in aes inciſum, una cum Sepulchro familiae Liuiae, in medium prodibit

Haec, quae capitulatim expoſui, et item alia, quae tranſeo prudens, indicio eſſe poſſunt, ad noſtram memoriam non pauca manſiſſe ueteris Romae monimenta, haud indigna certe uel ſtudio noſtro uel admiratione. Sed quota haec pars eorum, quae grauiſſimos antiqui-

tiquitatum inueſtigatores tenuerunt obſtupefactos, adeo, ut hi libris integris ROMANAE MAGNITVDINIS ADMIRANDA proſequerentur. Horum quidem pleraque interciderunt, aut, demerſa ruinis, abſconduntur, ex ruinis extracta ſunt pauciſſima, in lucemque reuocata. Quae ſuum tenuerunt locum, uel labefactata partibus ſunt ac detrita, uel, ſibi melius ſi conſtant adhuc, exciderunt tamen ſplendore priſtino, in terramque, non minimam ſui partem, conſiderunt. Igitur, quae hic conſpectiora ſunt, Romae humatae monimentum quaſi funebre praebent, ac, quot ipſae ſunt hae reliquiae, totidem uelut lugubres titulos ponunt, quorum ammonitu uiator ſtet, uideat, ſciat, HIC SITAM ESSE ROMAM

Tamen ſtat adhuc nihilo ſecius Vrbs antiqua, rerumque potitur ac floret, ſed in ueterum libris, in marmoribus, numiſmatibus, gemmis, aliiſque antiquitatis eruditae ſapientiſque monimentis, quae res, domi foriſque geſtas, poſteris produnt, et mores ſimul Quiritum, et publica ſimul horum priuataque opera, leges maxime Romanas. Has enim Orbi terrarum, qua ſubactus erat, cum dedit gen-

tium domina, tum eaſdem ipſis hoſtibus ſuis, antiquis atque acerrimis, quibus olim ceſſerat, ſenſim paullatimque ſic probauit, ut uictores uictae iura ſuſciperent, ab iiſque plurima maximaque repeterent adiumenta regundi ſapienter Imperii, quod ſua ſibi uirtute peperiſſent. Multa adhaec Romae florentis ornamenta in Mediceo, Farneſiano, atque aliis Italiae Muſeis, repoſita ſunt. Multa adhuc Romae, in Palatio Farneſiano, Barberino, Iuſtiniano, Ghiggio, Gualtiero, Albano, aliis, comparent. Multa ibidem, in Burgheſia, Medicea, Ludouiſia, Aldobrandina, Alteriana, Matthiana, in tot uillis aliis atque hortis, in Capitolio, ut diximus, in Vaticano, aliis in locis. Vix uillam praetereas mediocrem, uixque uineam, quin aliquid antiqui marmoris uideas, parietibus inſertum. Accedunt, praeter opera Muſiua atque alia, picturae ueteres, imagines rerum tam ſcienter exprimentes, ut in his Roma ſpirare uideatur. Quarum cum multas in multis uideas locis, tum plurimas, ex Vrbis ruinis ad ueterem elegantiam expreſſas, uideris, in grande uolumen redactas ac perelegans, quod in domo Maxima e ſcriniis depromitur, inſanoque expingendi pretio comparatas

Atque

Atque huius quidem Vrbis, in uario monimentorum genere ſuperſtitis, ſtudium, quantum, in tanta antiquitatum copia, eruditionis, uariae quidem ac multiplicis, habet, tantum exiſtimationis affert. Sed hoc idem tum ualebit plurimum, cum non leuiter ab illis inſtructum fuerit literis, quas, a Graecis acceptas, Romani ueteres cum optimarum ſtudiis artium coniunxerunt. Namque hae illae ſunt literae, quae eruditos reddunt atque ſapientes, hae cultoribus ſuis, apud optimum quemque, dignitatem conciliant, hae apud nos in primis, quantum decus obtinent, tantum dant aditum ad honores, publice capeſſendos.

Quos quidem ego proxime futuro die ſeptimo decimo Octobris, ſiue, ut Romanae conſuetudini ſeruiam, XVI Calend. Nouemb bene merentibus, auctoritate publica, ut impertiam, mos inſtitutumque maiorum hortatur. Vos igitur, Sapientiae praeſtantiumque artium Candidati, ueſtris confiſi meritis, animum capeſſite, cum eoque ſpem dignitatis augendae. Quanta uos inuito comitate,

tanto

Digitized by Google

tanto rei bene gerendae ſtudio mihi, amabo uos, reſpondete, ueſtraque apud me nomina rite profeſſi, a me, dignitatis ueſtrae ſtudioſiſſimo, liberaliſſima doctrinae praemia expectate, ſiue *poetices*, ſiue *Philoſophiae*, *laureas,* perinde, ac decet, expetatis.


P· P· prid· Calend· Septembres,

A· ∞ IↃ CC XXVII

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



J. S. Leitner sc.